



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

2. In qua parte Britanniae, & ex qua gente natus sit Willibrord.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

baldus, Walburgis) *utpote duarum sororum filij*. Richardum verò (cui soror matris S. Willibrordi matrimonio iuncta fuit) Regem Anglorum fuisse, aut ad minus Regio sanguine ortum, probat fuisse idem Gretserus, *lib. 1. Observatorium cap. 6.* Adiungit priori loco, S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum fuisse Willibaldi cognatum, fratrem nimirum Bonnæ seu Wunnæ (fuit ea soror matris S. Willibrordi) quæ fælici partu S. Willibaldum edidit. Bonifacio verò etiam nobile & regium genus asserit Serarius *lib. 3. rerū Moguntinar. notat. 2.* Hinc apparet quā illustrem, sanctam parentelam cognationemque habuerit S. Willibrordus.

## DISSERTATIO SECUNDA.

In qua parte Britannia, & ex qua gente natus sit  
WILLIBRORDVS?



ON deest qui Scotum illum existimet: alius Hybernum.

Pro pleniori huius & eorum quæ in historijs Apostolorum Frisiorum occurrunt intelligentia, Nota primo. Ante annum 449. dum Britones Britannia incolæ à Pictis (qui postmodum & modò Scoti dicti sunt) & Scotis (qui postea & nunc Hyberni dicuntur) adiutis à Noruegiensibus & Dacis (id est Danis secundum Westmonasteriensem) acerrimo bello affligerentur, nec Romæ auxilia sufficientia subministrarentur, ab Ætio Romanorum (quibus Britannia à tempore Iulij Cæsaris, qui primus ex Iccio portu in Britanniam transfretavit, parebant) in Gallijs præfecto auxilia postulauerunt. Sed cum Gallia Italici iugi pertæsa in dies magis nutaret, prætereà ei imminerent Hunni, Gepidæ, Wandali, Suevi, Saxones



Saxones, Alani, aliæque Barbaræ nationes, committendumque esset famosum illud prælium in campis Catalaunicis contra Attilam, auxilia expetita suppeditare Ætius nequiuit, quamquam lachrymabilibus litteris illud efflagitarent; imo legionem semel missam reuocauit, tanquam sibi in eo statu necessariam, Galliæ magis quam Britanniaë prospiciendum ratus, pro cuius defensione ab Episcopis & Galliæ maioribus non minùs sollicitabatur. Qua occasione dum Picti & Scoti exultantes, longè infestius Britanniam premunt, impares Britones pro vita fortunisque solliciti, ex Procerum consilio Saxones vicinosque auxiliares ex Germania accersunt. Nec mora: aduolant ij anno 449. stipendia merent, victoria contra Scotos Pictosque potiuntur, Britannis in speciem utili, reuera autem exitiali. Nuncium victoriae in patriam mittunt, fertilitatem agrorum, segnitiam Insularium indicant, quibus illecti cæteri Saxones numerosissima cohorte appropinquantes, insuperabilem ( inquit Beda ) suis coniuncti exercitum conficiunt. Confluentibus sic in insulam certatim Gentium cateruis, grandescere cepit populus aduenatum, ita ut ipsis quoque qui advocauerant indigenis, terrori essent, cum subito ad tempus inito fœdere cum Pictis, quos longius iam bellando propulerant, in socios arma vertere incipiunt. Equidem primùm annonas abundantius sibi administrare cogunt, protestantes ni facerent, serupto fœdere omnem Regionem vastaturos. Nec segnius exequuntur: siquidē accensus manibus paganorum ignis, iustas de sceleribus populi ultiones expetijt, non illius impar qui quondam per Chaldeos Hierosolimorum mania imo & ædificia cuncta consumpsit. Ac quamvis Britones animos non omnino abijcerent, tamen post aliquot annorum bella variosque euentus, dolos, perfidias, totius insulae Principatum



DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS

Principatum obtinent advenæ relicta Britonibus quadam Regionis portione quæ, docente Polydoro Virgilio, Wallia appellatur. Qui ex his exteris fuere prognati, nunc Saxones, nunc Anglo Saxones, nunc Angli sunt appellati. Et quia ex horum stirpe genitus est S. Willibrordus, ideo Saxo, vel Anglo-Saxo, vel Anglus scribitur, non verò quod in Saxonia Germanica sit natus.

Nota secundò. Postquam Germani exteri Britonum terram pro maxima parte occupassent, inter sese civilibus discordijs & odijs capisse digladiari, mutuos fines convellere, & mutuò se expellere. Quo factum est vt paulatim inter se diuisi, septem Regna in Anglia condiderint.

Primò. Regnum Cantiorum, quòd incepit anno Christi 457. adventus Anglorum siue Saxonum octavo.

Secundò. Regnum Sudsexe id est Australium Saxonum inchoatum circa annum 490.

Tertiò. Regnum Westsexe, id est Occiduorum Saxonum anno 519. ab adventu Anglorum 71.

Quartò. Regnum Estsexe id est Orientalium Saxonum circa annum 537.

Quintò. Regnum Northumbrorum inceptum circa annum 550. quod postmodum, filijs hereditatem affectantibus, subdivisum est in Regnū Deirorum & Berniciorum. Inde Adelbertus S. Willibrordi socius ad Frisiæ conversionem, legitur fuisse filius Regis Deirorum.

Sextò. Regnum Estangle, id est Orientalium Anglorum circa annum 590.

Septimò. Regnum Merciorum non longè ante prædicationem S. Augustini à Gregorio Magno missi.

Regnis sic in Britannia constitutis, dum Reges finibus suis minimè contenti, alter alteri dominari exardet, tandem post annum 800. sub vnum Monarcham redacta est,

& ex



ex Heptarchiâ Monarchia iterum restituta.

Nota Tertio. Dictos externos de tribus Germaniæ titulis fortioribus id est de Saxonibus, Anglis & Iutis advenisse, exprimit Beda. De Frisonibus filet. Verum etiam Frisones in Britanniam emigrasse, testis in primis est Procopius lib. 4. de bello Gothico: *Britanniam, inquam, insulam tres numerosissima gentes incolunt, quarum unicuique, Rex suus imperat: nominantur hæ gentes Angli, Frisones, & qui eiusdem sunt cum insula cognominis, Britones.* Quo loco nomine Anglorum sine dubio Saxones subintelligit more multis authoribus usitato. Idem significat historia vitæ S. Swiberti apud Sutiū prima Martij, ubi hæc: *Et quoniam hi (Willibrordus & socij) propagati fuere in Anglia de stirpe Frisonica & Saxonica, ideo convenienter predicare potuerunt in lingua Germanica.* Sed cur de ijs filet Beda? Responderetur, existimo Frisios in posterioribus expeditionibus Saxones comitatos Britanniam accessisse, sub eorum imperio sedes sibi fixisse: Bedam autem solum enumerare speciatim populos qui in secunda transmigratione inventi sunt. Plures enim post illam à Beda relatam Germanicarum nationum in insulam demigrationes successisse, insinuat Malmesburiensis, & clarè fatetur Henricus Huntodoniensis lib. 2. Sub Frisijs Batauos, qui iam in Frisiorum nomē concesserant, simul profectos, non abnuic Doufa lib. 6. ann. Hol. Imò ipsi certum est. De Frisijs aliàs plura.

Saxones quinam sint, hodie suo vocabulo profitentur. Quibus limitibus continerentur dicto anno 449. non usque compertum. Ad Albim Austrum versus eos tum terminatos fuisse, verosimile est, quod Ptolemæus, Eutropius, Stephanus, Orosius, dum in Oceani littoribus ad Cimbricam Chersonesum inuisque paludibus eos collocant, contractiores limites assignent. Certum interim est

B

sequen-



sequentibus sæculis fines suos amplè extendisse ultra Al-  
 bim, Visurgum, ad Rhenum vsque, & quidem eo tempore  
 quo S. Willibrordus eiusque socij Frisiam adeunt. Le-  
 guntur namque duo Ewaldi in Prouinciam antiquorum  
 Saxonum perrexisse ibidemque perempti circa annum  
 693. per quam Prouinciam intelligunt omnes Westpha-  
 liam vel aliam plagam iuxta Visurgum. Imò prædicanti-  
 bus nostris Apostolis Saxones pomeria sua ampliassè mani-  
 festè prodit Beda lib. 5. hist. cap. 12. *Swibertus accepto Episco-  
 patu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuari-  
 rum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit.  
 Sed expugnatis non longo post tempore Boructuarijs, à gente anti-  
 quorum Saxonum, dispersa sunt quolibet hi qui verbum receperant.*  
 Ex qua Bedæ relatione colligas, non longe post annum 700.  
 illam expugnationem accidisse. Itaque post passionem E-  
 waldorum dilatatum est imperium Saxonum per agros Bo-  
 ructuariorum, cuius amplitudinem vide dimensam apud  
 Krantzius lib. 1. Saxoniae. In hoc amplo statu, quod Reges  
 nollent, duodecim Duces ( Satrapas Beda vocat ) crea-  
 runt, qui administrationi Reipublicæ suæ præessent, quo-  
 rum vni tempore belli summa rei committebatur. Ex quo-  
 rum ordine Angriæ quoque Duces magnæ authoritatis  
 fuerunt. Inde oriundus fuit Witekindus, cui à Saxonibus  
 in bello, quod Carolus Magnus triginta annis cū ijs gessit,  
 supremum imperium delatum fuit; quare & Regem in  
 quibusdam codicibus nominatum inveniri Kranzius re-  
 fert. Primus hic Caroli M. auspicijs cum sua gente religio-  
 nem Christianam amplexus est. Ex quo præstantissimi Impe-  
 ratores, Henricus & tres Othones nobilissimam antiquitatis  
 stirpem ducunt. Post bella cum eodem Carolo gesta fidei-  
 que receptionem, in antiquas prouoluti sunt angustias,  
 prout hodie est cernere, Episcopis non minima portione  
 authoritate Imperatorum & Pontificum attributa.



Iutæ, quos corruptè Vitas quidam scribunt, putantur incolæ fuisse partis Regni Danici, modò nominatæ Iutlandia, olim Cimbrica Chersonesus, & secundum aliquos Gothia, cuius incolæ Gutæ, quasi Gothæ aut Gothi.

De Anglis verò, quamnam Germaniæ oram tenuerint, problematicum est. Paulus Æmilius in Annalibus Regum Francorum alijsque, eosdem esse, quos Tacitus in Germania inter Sueuorum gentes enumerat, qui ab eo in secretiora & interiora Germaniæ protrahuntur, quiq; Ptolomæo Sueui Angli & Mediterranei vocantur. Beda supra eis habitationem assignat inter Iutas & Saxones. Alij duplices Anglos fabricant, Mediterraneos Ptolomæi & Maritimos Bedæ. Krantzius lib. 1. Saxoniarum cap. 21. eorum veterem sedem Angariam Westphaliæ ad Amasum fluuium portionem fuisse autumat; Posteriores enim ab ea Anglos Angiros littera in r transmutata, vocare cepisse, idque ad discrimen Anglorum insularium siue Britannorum. Inde qui olim Angliæ, post Angariæ Duces dictos esse, qualem se hodie profitetur Elector Coloniensis. Verùm quia idem Krantzius cap. 19. ex proximis Germaniæ littoribus eos advocatos tradit, parum sibi constare videtur. Angria enim longè à littore Germanico distat. Ego lubentius accessero ijs qui Maritimos Germaniæ habitatores statuunt, cum passim Anglici Scriptores eos ex Saxonico littore in Britanniam transfretasse & Krantzius libro primo cap. 19. ex proximis Germaniæ littoribus accersitos asseruat. Adiuuat Beda, qui affirmat eos tribus nauibus advectos; vsus autem nauium apud Maritimos maximè est. Fauet ratio. Primò, cum iustum sit sentire Britannos in auxilium potius vocasse Germanos sibi viciniore, quales erant maris Accolæ, quam Mediterraneos. Secundò, cum negotium Britannorum aquis & nauibus sæpe agendum esset, maluisse eos maris expertos, quam ex meditul-



lio regionis eius expertes. Annuit omnino huic censuræ Ethelwerdus antiquus Britannia Scriptor his verbis: Porro Anglia vetus (ex qua scilicet Angli in Britanniam venerunt) sita est inter Saxones & Gotos (Gothos) habens oppidum capitale quod sermone Saxonico Slesuic nuncupatur, secundum verò Danos Haithabij. Certum est autem Slesuicum Oppidum in Dania parum à mari abesse. Eisdem verò Anglos Saxoniam Prouinciæ ac Saxonici nominis fuisse, nobis præmonstrat Beda lib. 1. cap. 14. Placuit (inquit) omnibus scilicet Britannis, cum suo Rege Vortigero ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent &c.

Ac cap. sequenti statim eosdem Anglos nominat. Tunc (inquit) Anglorum siue Saxonum gens invitata à Rege prefato Britanniam tribus longis nauibus aduehitur & in orientali parte Insula iubente eodem Rege locum manendi quasi pro patriapugnatu, reuera autem hanc expugnatu, suscepit. Paulus Diaconus cum narrasset Britannos Scotorum impetus formidantes sibi auxilio Anglos advocasse, statim subiicit, gentem Anglorum siue Saxonum, Britanniam nauibus aduectam. Witkindus quoque Saxo (non ille Dux, sed Monachus Corbeiensis in Saxoniâ modernâ) à Britannis Romanorum ope destitutis, Saxones ob rerum gestarum famam subsidij causa accitos scribit, eosque Anglos Saxones à situ insulæ nominatos. Hinc ab Anglicis scriptoribus modò Saxones, modò Angli, modò Anglo-Saxones, siue Saxones Angli vocitantur. Sic Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus epistola ad Zachariam Papam Britanniam Transmarinam Saxoniam vocat: eadem quoque simpliciter Saxonia à Kenulpho Merciorum Rege appellatur apud Malmesburiensem pag. 31.

Iutas quoque Saxonum vocabulo comprehensos, manifestat Beda, dum sub occidentalibus Saxonibus Iutarum nationem



nationem contineri refert. Hinc apud Gildam sapientem omnes Britanniae invasores, non alio quam Saxonum nomine veniunt.

Nota tamen, Bedam passim in sua Historia Anglos accipere ut distinctos à Saxonibus; Sed hoc provenit ex usu pænes quæ est ius & norma loquendi; quo modo subinde nomen generale attribuitur speciatim inferiori seu subijcibili, sicuti per animalia sapius intelliguntur bestiae excluso homine, qui tamen verè est animal: sic Portugallenses distinguuntur interdum ab Hispanis, cum tamen reuera Hispani sint, & sub Regno Hispaniæ contenti. Si quis curiosius velit indagare originem nominis Angliæ, næ ille bonas horas male collocabit. Omissis variorum diuinationibus, argutus Goropius noster Germanicæ linguæ acceptum refert, vocabulo *Angel* siue *Engel* quo hami piscatorij significantur. Atque hoc nomen ipsosmet Anglos Saxones sibi sumpsisse, quasi profiterentur se hamos esse (piraticam enim exercebant) omnia quæ in mari inveniunt, attrahentes & quodammodò adhamantes.

Recensitos advenas nomina sua Prouinciæ Britanniae impressisse vidimus, præsertim notatione secunda.

Verùm obscurius est à quibus conditum, & nominatum sit Regnum Merciorum. Ego probabilius habeo à Frisij Maris illud emerfisse. Frisios namq; animi generosi, libertatis studiosissimos, proprio Marte venisse, meruisse, & militasse, si non primis, saltem posterioribus expeditionibus dignum est sentire. Vide Bernardum Furmerium Annal. lib. 2. Sub Frisij autem sunt Maris siue Marfici vicini Caninefatibus & Batavis, ab Oceano non longè distantes, imò inter Frisios Oceano fere vicinissimi è regione Britanniae; quare non mirum eos cupiditate prædæ allectos, imò invitatos (vti insinuat Huntodonensis lib. 2.) Britanniam invasisse Barbaris Germanis passim expositam;



14 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
Regnumque ex suo nomine, quemadmodum Angli & Saxones, condidisse, Merciorum dictum, quod consonat cum eorum vocabulo. Britannica enim natio facile a in e mutat; ut cum dicimus West-Saxones illi pronunciant *West-Sere* & ubi nos *West-Saxe* illi *Est-Sere*: sic quod nos Marſe ipsi Merce per e statim reddunt, nec difficilius ſ immigrat in c. Certè nouum illud Regnum Britannia non minus videtur sortitum nomē à gente extranea, quā alia Regna. Atqui nihil familiarius fuit Barbaris continuò demigrantibus & alienas sedes occupantibus, quam nomen suum ibidem imponere. Sic Hollandia & Zelandia ab Hollandis & Zelandis Aquilonaribus: sic Francia à Germanis Francis, Hungaria ab Hunnis sunt intitulata: sic Mercij non procliuius intelliguntur quam à Marſis ſiue Merſis. Interim hæc opinatio noſtra ſit, doceant alij certiore originem, & cedemus. De Marſis vide Kranzium in præfatione ad Saxoniam & lib. 1. Saxo: cap. 6. & Hedā in prologomenis ad Historias Episcoporum. Ultraiectensium.

Ut tandem proposito nostro hæc accommodemus, originem trahit S. Willibrordus (idem ſit de eius ſocijs) ex dictis Germanis Britannia occupatoribus, ideoque Anglo-Saxo ſcribitur. Et quidem ſi propiùs inſpiciamus, ex Anglorum Germanicorum ſtirpe eam trahit: tota namque gens Northumbrorum (inter quos eſt natus) venit ex Anglia Germanica, quemadmodum & Orientales Angli & Medij Angli: ex Saxonia autem veteri deſcenderunt Orientales Australes & Occidentales Saxones, de quibus ſupra. Quare Anglus vocatur duplici titulo, & ratione patriæ, quæ Anglia à multis ſæculis nunc inſcribitur, & ratione Anglorum, ex quibus genus ſuum ducit. Natus præterea eſt S. Willibrordus in Regno Northumbria, à condito Regno circiter 110. regnante 15. annum Oſuuius, qui ſuceſſit



cessit patri suo S. Oswaldo Regi & Martyri.

Ex iisdem & eodem Regno natus est S. Swibertus nobili stirpe anno Christi 645. aut 46. ut ex ipsius vita colligitur.

Similiter ibidem progenitus est S. Adelbertus filius Regis Deirorum qui erant populi Northumbriæ.

S. Winfridum aliàs Bonifacium ex iisdem & eodem Regno ortum esse multis declarat Serarius lib. 3. Rerum Moguntiacarum notatione prima ad vitam ipsius per Othlonum conscriptam, probatque natum anno Christi 670.

De ortu aut patria S. Werenfridi nil unquam apud Authores reperi. Probabile est ex iisdem processisse, ut & alios convenas: erant namq; in Hibernia *multi Nobilium & mediocrium degente Anglorum*, inquit Bedal. 3. c. 27. *qui, relicta Insulâ patriâ, vel diuina lectionis vel continentioris vita gratia eâ secedebant, quorum nonnulli statim Monastica vita sese mancipabant, alij circumeundo per cellas Magistrorum lectioni operam dare gaudebant.* Verosimile autem est contribules simul habitasse, egisse, iuisse.

## DISSERTATIO TERTIA.

## De Nomine S. WILLIBRORDI.



NON infrequens est electis ex speciali diuina ordinatione nomina imponi, præcipue ijs qui ad præclara in Ecclesia gerenda sunt præordinati. Nouit enim ab æterno suos Deus etiam ex nomine; & cum vocabula sint rerû signa, per ea quos fructus sint edituri sancti, ad quos dignitatis virtutumque culmen eos ordinarit, præsignificari à pueritia vult orbis moderator. *Habens hoc, teste Ambrosio in c. 1. Luc. merita SS.*

ut à